





Q. D. B. v. 1712, 6  
 II. 21  
 III.

DISSERTATIO JURIDICA CANONICO-CIVILIS,  
 DE

**BONA FIDE**  
 IN  
**PRÆSCRIPTIONIBUS NON**  
**NECESSARIA,**

*Quam*  
 DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,  
 IN PERANTIOVA ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI  
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
 REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO  
**PHILIPPO VVILHELMO,**  
 S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non  
 METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CA-  
 NONICO CAPITULARI SENIORE, & respectivè SUPREMO CHORI - EPISCOPO,  
 EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO  
 INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE ERFURTENSIS  
 PRO - PRINCIPE &c. &c.

INDULTU CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
 SUB PRÆSIDIO  
 DN. TOBIÆ JACOBI Reinharbts/ J. U. D.  
 NEC NON REGIMIN. ELECT. AC JUDIC. ADVOCATI  
 ORDINARIJ,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
 D. 4. JANUAR. A. O. R. MDCCXII.  
 IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI HORIS CONSVETIS  
 submitit,

**PAULUS SIRONVAL, Aquisgranensis.**

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

BONA FIDE  
IN  
PRAESCRPTIONIBUS  
NECESSARIA.

IN  
ACADEMIA ERFDORFENSIS  
MAGISTRO  
D. N. O.

PHILIPPO WILHELMO  
S. J. DOMINI DE BOUMBERG

AVOCATO  
S. J. DOMINI DE BOUMBERG

IN  
ACADEMIA ERFDORFENSIS

AVOCATO  
S. J. DOMINI DE BOUMBERG

PAULUS SIRONIUS  
S. J. DOMINI DE BOUMBERG





## THESIS I.

*Præscriptio, tam iniquitatis, quam  
Injustitiæ, iniquè arguitur.*

### §. I.



Præscriptionis vocabulum nonnullis odiosum esse, & plus iniquitatis, quam justitiæ, uti somniant, continere, ex nullo alio promanat fonte, quam quod ejus vim vix intelligant, atque, quibus nitatur fundamentis, ignorent; hæc enim sicut in his consistunt potissimum, ut saluti ac interesse per eam non solum consulatur publico, ne scil. incerta semper sint rerum Dominia, infinitæque lites circa re-

rum proprietates; (a) sed etiam, quod concurrat ex parte illius, contra quem præscribitur, præsumpta voluntas, rem, quam per longum temporis tractum non postulat, sponte derelinquendi, atque beneficium liberalitatẽque in alterum exercendi; (b) Ita sua sponte fluit: Præscribentem neutiquam cum damno alterius locupletari, quin potius damnum, quod negligentia liberalitateve suã sentit, sentire non videri, (c) illudque bono publico sufficienter compensari.

## §. II.

Ut ut autem ipse Justinianus in Constitutione suã (d) Præscriptionem titulo: *Remedii Impii*, item: *impie temporis allegationis &c.* insigniat, ex eo tamen non statim intrinseca ipsius iniquitas inferenda est; intelligendus enim est hic locus eo sensu, quo improbi homines malæq; fidei possessores præscriptionis remedio abutuntur contra Ecclesias. (e) Quo minus jam Remedium Appellationis, propter ejus abusum, intrinsicè impium, eò minus Præscriptio propter interversum primarium ejus usum, internè injusta, dici poterit.

## §. III.

Suppositã jam internã Præscriptionis justitiã, securitatem conscientiæ pollicemur illi, qui post

---

(a) L. 1. ff. de usurp. & usuc. princ. Inst. eod. (b) arg. L. 28. ff. de V. S. (c) L. 203. ff. de R. I. (d) Nov. 9. (e) Engel ad Jus Can. L. 2. Tit. 26. §. 1. n. ult. in fine.

post completam Præscriptionem agnoscit rem fuisse alienam, modo possessor existimet rem licite retineri posse, cum omne illud, quod lege positiva est determinatum, vitioque caret morali, in conscientia quoque justum sit. (f) Neque agnoscenda ista, quam refert glossa (g) distinctio, inter titulum lucrativum & onerosum, ita, ut non cum isto, bene tamen cum hoc retineri possit.

## THESIS II.

*Est autem Præscriptio modus acquirendi dominium rei, a non domino bona fide, & justo titulo acceptæ, per continuatam definito tempore possessionem (h)*

### §. I.

**A**liam Præscriptionis descriptionem suppeditavit JCtus Modestinus, (i) quod sit adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. At quis non videt ex eo ejus imperfectionem, quod omnia Præscriptionis ordinariæ requisita, bonam scil. fidem, justumque titulum, non contineat?

A 3

§. II.

---

(f) vid. D. Stryk de foro consc. cap. 6. n. 168. & seqq.

(g) Glossa in cap. vigil. §. X. de Præscript. (h) Struv. S. I. C.

Ex. 48, §. 6. (i) L. 3. ff. de usuc. & long. temp. præscript.

§. II.

Quamvis autem præscriptionis natura in usucapionem, quæ jure veteri objecto, tempore & effectu differebant, a Justiniano transformata sit, (k) remansere tamen quædam Præscriptionum species, quæ, cum naturam Præscriptionis, usucapioni oppositæ, retinent, Præscriptiones in specie appellantur, ac definiuntur: quod sint modi elidendi jus alienum illud, quo alter contra eum, a quo petit, negligenter per tempus lege definitum, cum uti decessisset, non fuit usus. (l) Hucque spectat v. g. Præscriptio ista, quâ solus lapsus temporis, & negligentia ejus, contra quem præscribitur, attenditur, (m) aliæve præscriptiones temporales (n); Hæcque præter exclusionem a jure nihil operatur, adeoque non Dominium, sive aliud jus, indeque competentem actionem, sed saltem exceptionem adhuc hodie tribuit.

THESIS III.

*Præscriptionis requisita consistunt itaque in bona fide, iusto titulo, re non vitiosâ, possessione continuata, & denique legitimo tempore.*

Pro-

(k) Vid. L. un. C. de usucap. transfor. (l) Struv. S. C. I. Ex. 48. §. 6. (m) L. 2. C. de Præs. 30. vel 40. ann. (n) l. i. ff. de divers. temp. Præs.



**P**Rout autem Præscriptiones vel ordinariæ sunt, ut longi temporis, decem vel viginti annorum, vel extraordinariæ, ut 30. vel 40. annorum, quo & immemorialis spectat; Ita quinque ista in thesi recensita præscriptionis requisita interdum omnia, ut in ordinariâ, interdum verò non omnia, ut in extraordinariâ & irregulari sunt necessaria. (o)

## THESIS IV.

*Bona fides autem, in materia Præscriptionis, est opinio, quâ quis credit rem esse suam, transferentemque jus transferendi eam habuisse. (p)*

### §. I.

**I**N materia Præscriptionis: notanter addidi; In doctrina enim de Contractibus bona fides laxam benignamve conventionum interpretationem denotat, quæ non præcisè verbis in hærent, sed ex æquo & bono illas dijudicant. (q)

### §. II.

---

(o) Vid. L. 23. cum aut. seqq. C. de S. S. Eccles. cap. 26. §. præterea X. de V. S. (p) L. 109. ff. de V. S. & ad eam Goed. n. 2. vid. Hilliger & Donn. L. 5. Cap. 17. lit. 4. (q) Franzk. ad Inst. Qu. 6. Exerc. 13. n. 11.

§. II.

Hanc bonam fidem in *Veram sive Positivam & Præsumtam* dispescunt Præctici: *Illam* consistere dicunt in opinione, quam possessor rei vel debitor in veritate habet. *Hanc* appellant, quæ ex circumstantiis ac præcipue ex temporis, quo mota non est actio, diuturnitate colligitur. Hæcque iterum vel *præsumtione* Juris, quâ quis tamdiu pro possessore bonæ fidei habetur, donec mala fides demonstratur. (r) Vel *Præsumtione Juris & de Jure* niti asseritur; quam præsumtionem Juris & de Jure alii ex immemoriali, (s) alii ex centum (t) alii denique ex 30. annorum (u) lapsu descendere affirmant.

§. III.

Sed quamvis hæc distinctio bonæ fidei in veram & præsumtam tolerari possit, certumque sit, ut præscribens post lapsum temporis longissimi bonam fidem probari non debeat, donec mala fides ab adversario ostendatur; Neutiquam tamen cum Mynfingero, Bachovio atque aliis lapsui 100. annorum vel temporis immemorialis, multominus triginta annorum hanc efficaciam attribuere possumus, ut bona fides inde præsumatur præsumtione

---

(r) Carpzov. P. 2. C. 3. def. 7. Petr. Heig. P. 1. qv. 16. n. 55. 56. arg. l. 24. ff. de probat. (s) Mynfinger. Cent. 1. Obs. 30. (t) Bachov. V. 2. disp. 21. thes. 6. lit. a. & b. (u) v. Covarruv. P. 2. Releñ. c. possessor male fidei d. R. I. in 6to §. 11. n. 6. verb. tertio.

em Juris & de Jure, atque hinc malæ fidei probatio non admittatur. Cum enim præsumtio juris & de Jure non nisi ex fortissimis speciali dispositione legis munitis conjecturis oriatur, ex quo quæso fundamento ex solo lapsu temporis talismodi præsumtio absque juris manifesto suffragio adstrui potest? Hinc rectius, cum Cothmanno, Gravetta & Zafio (w) æternam esse malæ fidei probationem, in casibus: ubi bona fides de illimitatâ præscriptionis est necessitate, statuimus; hõc tamen adhibito temperamento, ne per qualescunque illiquidas probationes tanti temporis cursus tempore inutilis reddatur ac inefficax. (x)

#### §. IV.

Dubitantem pro bonæ fidei possessore ex eo agnoscere non possumus, dum bonam fidem per justam opinionem, qua quis credit rem esse suam, descripsimus. Præsupponimus tamen cum B. Strykio (y) & Becmanno (z) dubium acquisitionem rei præscribendæ præcedere; Si enim subsequatur Contractum, rei que occupationem, per hoc bona fides ab initio contractus præfens non intervertitur, si modo magis in opinionem, se esse

B fe

(w) Cothmann *V. 2. Resp. 63, n. 53.* Cravetta *Confil. 146, n. 2.* Zafius *L. 2. Conf. 16, n. 52.* (x) Dn. Matth. Dreyerus in *Disp. Inaugur. de questione: An bona fides in præscript. Actionum personalium sit necessaria ibes. 29. in fin.* (y) Stryk, *Dissert. de foro Conscientiæ cap. 6. n. 19. 174.* (z) Becmann, in *Doctrin. Moral. cap. 3. §. 21.*

se Dominum, inclinet. Neque dubii levitas bonam fidem statim extingvit. Si enim quis inde enascens serupulus aliquem illico à bonâ excluderet fide, omnes sane actiones immortalitati propemodum donarentur. Neque in jure errantem pro bonæ fidei possessore agnoscimus, quoniam error juris in compendiis nemini prodesse dicitur. (aa) Imo de errante in facto proprio idem adstruimus; adeo, ut error facti errorem juris concurrentem ne purgare quidem possit, quam opinionem cum Paulo de Castro & Covarruvia, (bb) contra Bartolum, (cc) merito defendimus.

## THESIS V.

*Hæc bona fides tanquam primum præscriptionis requisitum in omni præscriptione rerum, præsertim de Jure Canonico, intantum est necessaria, ut nunquam absque eâ subsistere valeat.*

§. I.

(aa) L. 7. ff. & L. 8. C. de Jur. & fact. ignorant. Vid. L. 32. L. 2. §. 15. ff. pro Emor. (bb) Paulus de Castro ad L. 31. ff. de Usucap. n. 1. Covarruv. P. 2. Relect. in C. possess. mal. fid. in 6to §. 7. n. 13.

**N**Otabilis quoad bonam fidem inter Jus Romanum & Canonicum occurrit differentia; Secundum illud enim bona fides saltem ab initio requiritur, ut mala fides superveniens non noceat. (cc) Quod etiam in Præscriptione extraordinaria, triginta vel 40. annorum, obtinet, ita, ut in hoc quoque, titulo licet deficiente, bona fides ab initio, quoad effectum acquirendi dominium, requiratur; quoad effectum autem excipiendi solus lapsus temporis absque bonâ fide & titulo sufficiat. (dd) At Jure Canonico, quod in Praxi sequimur, ad ultimum momentum usque bona fides est necessaria, (ee) idque non in ordinariâ solum, sed & extraordinariâ præscriptione obtinet. (ff)

## THESIS VI.

*Dantur tamen non pauci casus, ubi ad præscriptiones bona fides neutiquam requiritur.*

**C**asfidiorus quidem Præscriptionem Patronam humani generis appellat; (gg) multi tamen, qui præsertim inculto conscientis peccati

B 2 ter-

(cc) L. 48. §. 1. ff. de A. R. D. (dd) L. 8. §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40. ann. Lauterb. in Compend. de Præscript. p. m. 576. (ee) Cap. f. X. de Præscript. (ff) Gail. L. 2. Obs. 18. (gg) Vid. Cujac. ad iii. Cod. de Præscript. 30. vel 40. ann. lit. f.

terrore, publicæ utilitatis curam, legumque spre-  
verunt autoritatem, bonam fidem in omnibus  
præscriptionum speciebus adeo necessariam esse,  
existimavere, ut absque ejus interventu istam in-  
ter abjectissima quævis jurium inventa referen-  
dam statuerint. (hh) Sed sicut hi ipsi non satis so-  
licitis finem præscriptionis perspexerunt oculis,  
sed potius generalitati *Cap. final. X. de Præscript.*  
extra modum inhæserunt; Ita Bartolus, errorem  
huncce agnoscens, inter rerum actionumque per-  
sonalium præscriptionem distinxit, cujus senten-  
tiam, quam Florentiæ habitam esse pro Evangelio  
commemorat Paulus de Castro, (ii) multique mo-  
dernorum Jurisconsultorum sunt amplexi, in sequentibus  
paulo specialius erimus contemplaturi.

## THESIS VII.

*Sic bona fides in præscribendis a-  
ctionibus personalibus non est neces-  
saria.*

Supra quidem in thesi V. bonam fidem semper ad  
præscriptionem requiri diximus, ex eo tamen  
cum hac thesi VII. non erui potest Contradictio.  
Supra enim de *rerum*, nunc autem de *personalium*  
Actio-

(hh) Vid. Ernest. Cothmanni *Consilia. Vol. 2. Resp. 63.*

(ii) Paul. de Castro in *L. 4. §. Si viam ff. de Usurpat.*  
& *Usucap. n. 6.*

*Actio*num præscriptione fermo fit, atque ad illam, non vero ad hanc bonam requiri fidem statuimus. Ratio diverſitatis eſt hæc: quod in præſcriptione rerum continua earundem poſſeſſio ex parte præſcribentis requiratur; hæc poſſeſſio autem, ne dolus apprehendentis eidem proſit, qualificata atque cum bonâ fide neceſſario conjuncta eſſe debet, cum & negligentiam domini & poſſeſſoris diuturnam poſſeſſionem lex in translatione domini, vel juris in re, quam ſemper præſcriptio rerum intendit, conſiderari æquum duxerit. At quoniam in præſcriptione *Actio*num perſonalium nihil apprehendit aut poſſidet debitor, nec *juſtam* ejus poſſeſſionem ſpectare neceſſe eſt, ſed ſufficit, creditorem præſinitum agendi terminum neglexiſſe, & ſic in pœnam actionis præſcriptæ, quæ negligentis improvidosque actores manet, (kk) incidiffe.

### THESIS VIII.

*Neque enim jus Civile, ſive Legum verba, ſive earum rationes expendas, bonam fidem in debitore, Exceptione Præſcriptionis adverſus actionem perſonalem uſuro, ullibi deſiderat.*

B 3

S. L.

---

(kk) L. 3, in ſin. Cod. de annal. Except.

§. I.

**T**emporales Actiones quod attinet, de eis eò minus dubitandum, illarum præscriptionem absque bonâ procedere fide, quo magis frustratorie aliàs ejusmodi angustum instituendarum Actionum spatium à Legibus in odium immortalis litis fuisset constitutum. Quis enim assereret: Actionem e. g. ex Retractu Consanguinitatis vel Vicinitatis, cui anni vel secundum statuta nonnullorum locorum 6. septimanarum spatium est præfixum, hoc effluxo, non esse plenissime extinctam, etiamsi vel maximè rei retrahendæ possessor alteri jus retractus competiisse sciverit? Quis diceret: Prætores biennium Actioni doli, (II) Actioni rehibitoria 6. menses, (mm) quadriennium Restitutioni in integrum, (nn) præfigentes, bonam fidem à præscribente exigere voluisse? Sanè dum ne ulli quidem illius mentionem faciunt, indubitato credendum est, illos solum lapsum temporis ad exclusionem actionis sufficientem habuisse, nec bonam fidem exegisse. Hinc rectissime B. Mevius (oo) ex Gilkeno ab ipso allegato concludit: quod, quando lex vel Princeps certum actioni præfigit terminum, non spectetur, an bonâ an malâ fide sit, contra quem agitur, sed solus termini lapsus, quem præfigere licuit.

§. II.

(II) L. f. C. de dol. mal. (mm) L. 38. L. 19. §. f. ff. de Aedil. Edict. (nn) L. f. C. de tempor. in integr. rest. (oo) Mevius p. 2, dec. 163. n. fin.



§. II.

De Actionibus, perpetuis personalibus idem ferimus iudicium: Ne minimum enim vestigium bonæ fidei ad illas præscribendas in Legibus invenire licet; Siquidem Justinianus non frustra tot vicibus expressis inculcavit verbis: se ex nullo unquam prætextu extensionem cujusvis Actionis personalis ultra 30. annorum spatium, exceptâ hypothecariâ, cui 40. annos præfixit, admitturum. (pp) Hinc in *L. 1. §. 1. C. de annal. Præscript.* postquam reprehendit nonnullos, qui præter lapsum temporis per verbosas suas interpretationes ad præscriptionem Actionum personalium aliud quid requiri putabant, pleno ore concludit: *Neminem audere debere, alicujus cujuscunque personalis Actionis vitam longiorem esse triginta annis, interpretari.* Imò in *L. 8. pr. & §. 1. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Idem Justinianus summo cum studio præscriptionem cum bonâ fide & possessione conjunctam, nec non actionem ad vindicandam eam rem competentem, ab illâ, quæ exceptionem ad actionem excludendam solummodo tribuit, separat, atque in hâc nullam bonam fidem requiri adeo liquido ostendit, ut nemo, nisi præjudiciis in totum obcæcatus, bonæ fidei requisitum præscriptioni contra actiones personales, quæ nihil quam facultatem excipiendi præscribenti tribuit, affingere valeat.

THESIS IX.

(pp) *Vid. L. 1. §. 1. C. de annal. Præscript. L. 3. 4. 7. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.*



## THESIS IX.

*Neque Ernesti Cothmanni opinio, (qq) existimantis: Ex 30. annorum lapsu bonam fidem Jure Romano saltem præsumi, eamque præsumtionem per malæ fidei probationem extingui, Legibus est conveniens.*

**L** Audatus Cothmannus citato loco nullam rationem, nullumque textum præter *Novellam* 9. adduxit, in quâ Justinianus, favori erga Ecclesias studens, in eos invehit, qui ad ejusmodi præfidium, Exceptionem scil. præscriptionis, animo perfido accedunt, illoque contra Ecclesiam abutuntur: Sed an inde sequatur: Ergo bona fides in præscriptione Actionum personalium præsumitur, quilibet ipse judicet? (rr) & quid opus habemus præsumere hic bonam fidem; Justinianus enim præscriptionem 30. annorum absque eâ validam esse, non obscure confessus est, in *Novell. 119. cap. 7. & L. un. C. de Usucap. transform.* Ut taceam, finem à Justiniano intentum, si malæ fidei demonstratio in æternum admitteretur, nunquam obtineri posse.

THESIS X.

(qq) *Vol. 2. Resp. 63. n. 12. seqq.* (rr) Vid. *Strauch. in Irenio non errante c. 3. th. 7. & S. 2. supra thes. 1. nostra disput.*

## THESIS X.

*Jus Canonicum quoque bonam fidem in præscriptionibus Actionum personalium nullatenus exigit.*

### §. I.

**T**Riplex circa Jus Canonicum, an hoc bonam fidem in præscribendis Actionibus personarum exigat, invenitur Doctorum sententia, quorum aliqui Affirmantium, alii Negantium, alii denique distingventium Castra sequuntur. Nosram sententiam propugnant Bartolus, Guido Papæ, Rauchbart, Strauchius, Colerus, Franzkius, Zangerus, Vasquius, Panormitanus, & plures alii. (ff) Contra nos docent, Engel, Fachinæus, Mevius, Lauterbachius, Carpzovius, Gebhardus, Mynfingerus, Feltmannus, Brunnemannus, Cothmannus, Rittershusius, Strykius cum cæteris pluribus. (tt)

C

§. II.

(ss) Bartolus in *L. 4. §. si viam ff. de Usurpat. & Usuc. n. 2. 3.*  
Guid. Papæ *qv. 199. n. 1.* Rauchbar. *p. 2. qv. 28. n. 32. 33.*  
Strauch. in *Irnerio non errante c. 4. §. 6.* Coler. *ad c. f. X. de Præscript. n. 13. 20. 21.* Franzkius *Ex. 5. qv. 7. n. 8. 12.* Zanger. *de Except. P. 3. c. 10. n. 107.* Vasquius *Illustr. Controv. L. 2. C. 76 n. 3. verf. contrariam vero partem.* Panormitanus in *Cap. f. X. d. 1. n. 13. & 21.* (tt) Engel *ad Jus Can. l. 2. Tit. 16. n. 18.* Fachinæus *Contr. L. 1. c. 63.* Mevius *ad Jus Lubec. L. 1. 2. 8. §. 19.* Lauterbach. in *Comp. Lit. de divers. temporal. præscr. Carpzov. P. 2. C. 3. def. 7. n. 1.* Gebhard, *de*

§. II.

Fundamentum autem primum, quo bonam fidem in præscribendis actionibus personalibus de Jure Canonico non requiri statuimus, consistit in eo, quod in dubio non sit statuenda differentia inter Jus Civile & Canonicum. (uu) Quoniam jam jure Civili ex antea deductis non obstante debitoris malâ fide actiones personales effluxo termino legali in tantum præscribuntur, ut creditor agens Exceptione repelli possit, Jus Canonicum vero contrarium circa hunc casum specialiter non disponat, quin potius circa eandem controversiam penitus taceat; certissimum est: mododictum Jus Canonicum Legibus Civilibus quoad hunc passum se conformare, atque Jus Civile neutiquam corrigere voluisse. Præsertim, cum ipsum Jus Canonicum in *Cap. l. X. de prescriptionibus*, quod tamen dissentientes cum *Cap. f. X. ead.* conciliare anxie, sed frustra, laborarunt, in terminis doceat: *Ut, si quisquam aliquem locum ad catholicam converterit unitatem, eumque per tricennium nemine repetente tenuerit, is ulterius ab eo repeti non valeat.* Quis quæso non videt, Canones cum dispositione Legum Romanarum ad amissum hic conspirare, atque non bonam fidem, sed solum lapsum temporis,

*Ufucap. c. 3. inf. Myndfinger. Cent. 4. Obs. 6. n. 3. 4. 5. Feltmann. Dec. Fris. 2. n. 9. seqq. Brünnem. ad L. 11. ff. de divers. temp. præscr. n. 6. Cothmann. V. 2. Cons. 63 n. 22. & seqq. Rittershus. dlfser. Jur. Civ. & Can. L. 4. c. 13. Stryck. in not. ad Lauterb. tit. de div. temp. præscr. Voc. moribus. (uu) c. 1. X. de oper. nov. nunciat.*

ris, propter utilitatem publicam Ecclesiæ, in favore propagandæ fidei Catholicæ consistentem, attendere, id quod ex subjunctâ limitatione: *Si tamen per ipsum triennium fuerit Episcopus, qui posset repetere, & tacuit &c.* manifestissime colligitur. Imò quis negaret, illum, à quo Ecclesia in Contractu læsa esset, hæc tamen intra quadriennium restitutionem in integrum non petiisset, exceptione præscriptionis Ecclesiam postmodum agentem repellere posse, etiam si iste vel maxime in malâ fide fuerit; sufficeret enim, tempus restitutioni in integrum in Legibus præfixum semel esse legitime elapsum.

§. III.

Deinde Jus Canonicum illam saltem præscriptionem absque bonâ non procedere fide statuit, quæ iniquitatem peccatumque continet. (xx) At verò, qui Actione personali conventus Creditorem post lapsum 30. vel 40. annorum Exceptione saltem repellit, nec iniquitatem nec peccatum committit. Ergo Jus Canonicum bonam fidem requirens de hâc Præscriptione intelligi neutiquam potest. Majori Propositioni Generalitatem Capituli *fin. extra de Præscript.* ibi: *ut Nulla valeat absque bonâ fide præscriptio*, infra demonstrabimus. Quod autem debitor, creditorem post lapsum temporis agentem, Exceptione præscriptionis repellens, peccatum non committat, ex eo patet, quod nullam

1117

C 2

rem

(ww) Jung. arg. cap. 4. & 6. X. de præscript. (xx) Cap. f. X. de præscript.

rem, cujus dominium acquirat, possideat; sed saltem intra tot temporis spatium liberationem sperans, remissionemve debiti ac liberalitatem Creditoris ex silentio ejus expectans, nil nisi Exceptionem, sive Jus Creditorem repellendi, sibi acquirat. Sicuti jam hoc non ex sua possessione, sed auctoritate legis, quæ creditoribus necessitatem agendi sub jactura crediti intra certum tempus imposuit, consequitur; Ita nec ad bonam ejus fidem, quæ est qualitas possessionis, Jus Canonicum respectum habere, multoque minus dici potuit: Præscribentem tali casu peccatum committere. Quod cum in præscriptione rerum secus se habeat, hæcque dominium vel aliud Jus in Re in usucipientem vel præscribentem propter continuam tanti temporis possessionem transeat, non mirandum, quod huic Usucapioni Jus Canonicum, ne dolo forte quæsitæ possessio cuiquam prodesset, bonam fidem & ab initio & in progressu inesse voluerit in *Cap. f. X. de præscript.*

#### §. IV.

Salus denique publica, quam Jus Canonicum non absolutè extra oculos ponit, nullam in debitore bonam requirere fidem videtur: Sed quis nescit, lites immortalitati subtrahi, publicum interesse postulare? (yy) & tamen, si quis de Jure Canonico susceptâ malæ fidei probatione post multorum

---

(yy) *L. 13. C. de Judic.*

rum seculorum lapsum Actionem personalem ad-  
huc superstitem esse statuatur, lites in infinitum ex-  
tensum iri. Accedit non minima iniquitas, quâ  
afficeretur ejusmodi debitor, si post tantum tem-  
poris tractum obliterated jam actionis memoriâ,  
documentis absque ejus incuriâ perditis, testi-  
busve mortuis ad debiti dudum jam extincti com-  
pelli debeat solutionem. Imo omni repugnaret  
æquitati, creditorem negligentem, qui juri suo uti  
debit & potuit, desidîæ & negligentîæ suæ præ-  
mium consequi debere, (zz) cum tamen jura vigi-  
lantibus scripta dicantur.

§. V.

Graviter jam nobis sæpe citatum *Capitulum fi-  
nale X. de Præscriptionibus* obstare videtur, in quo  
dissentientes in tantum se fundant, ut eum, qui  
in actionibus personalibus bonam fidem de Jure  
Canonico non requiri statuit, talpâ cœciorem esse  
sibi persuadeant. Sed quam fallant, & fallantur,  
ex eo facile patebit, si partim ipsum textum aspi-  
ciamus, eumque cum aliis textibus conferamus.  
Verba Innocentii III. sunt sequentia: *Quoniam o-  
mnino, quod non est ex fide, peccatum est: Synodali judi-  
cio definitum, ut nulla valeat absque bonâ fide præscriptio  
tam Canonica, quam Civilis. Cum generaliter sit omni  
Constitutioni atque Consuetudini derogandum, quæ abs-  
que peccato mortali non potest observari: Unde oportet,*

C 3

ut

---

(zz) arg. L. 16. ff. ex quib. caus. maj.

*et, qui praescribit, in nullâ temporis rei habeat conscientiam alienae.*

§. VI.

Scilicet: allegati textus neque verba neque ratio bonam fidem in praescribendis Actionibus personalibus requirunt, sed capitulum de praescriptione, quae possessioni rerum innititur, est intelligendum & complectitur saltem generalem repetitionem illius, quod Alexander III. in *cap. 5. X. eodem* rescripserat: nempe vigilanti studio cavendum esse, *ne male fidei possessores finus in praedictis alienis*, cum secundum Bonifacium VIII. in *Cap. 2. de Reg. Jur. in 6to Possessor male fidei* nullo unquam tempore praescribere possit. Quia jam Canones bonam fidem tantum in possessore rerum requirunt, & in allegato *cap. fin.* actionum personalium ne unicâ quidem syllaba mentio fit, aut expressum: Pontificem Juri Civili in praescriptionibus actionum personalium velle derogatum; rectissime illud ad praescriptionem rerum restringendum est.

§. VII.

Cothmannus (aaa) quidem in dicto capitulo etiam de praescriptione actionum personalium agi, evincere conatur ex verbis ejusdem generalibus: *Nulla: item: Rei: &c.* sed utut Vox *Nulla* generalis sit, non tamen in frequens est in Jure: verbis generalissimis multo sapius Regulam poni, eandem

(aaa) Cothm. Vol. 2, Resp. 63, n. 20. seqq.



dem tamen ex circumstantiis frequentissimè restringi. (bbb) *Rei* quidem Vocabulum in sensu latiori actiones personales quoque complectitur. (ccc) Sed ex eò non sequitur: Ergo Pontifex bonam fidem in Actionibus personalibus præscribendis requirere voluit. Si enim Generalitati Vocis *Rei* adeo strictè inhærere velimus, necessario etiam res extra Commertium præscriptioni obnoxias, & ad crimina quoque quoad pœnalem præscriptionem bonam fidem requiri, concedere debemus, cum & crimina & res extra commertium, *Rei* nomine venire dicantur in *L. 5. ff. de V. S.* id quod tamen maximè foret absurdum. *Rei* itaque vocabulo ipsæ res possessæ, non verò Actiones, quæ à debitore nunquam possidentur, intelliguntur.

#### §. VIII.

Neque porro obstat Ratio in principio allegati obstantis Capituli generalis: quod scilicet quicquid non ex fide est, peccatum fit. Nam supra §. 4. sufficienter demonstratum est: debitorem auctoritate legis fruentem in peccato nequiquam constitui; Præscriptionis enim causa non est malitia debitoris, sed negligentia creditoris, atque necessitas extinguendæ actionis per lapsum temporis in favorem Interesse publici definiti. Hincque debitorem, Exceptione præscriptionis, effluxu termino, utentem, in conscientia quam maximè fecurum

---

(bbb) *arg. L. 67. ff. de R. J. L. 93. ff. de Leg. 3.* (ccc) *L. 6. ff. de V. S.*

curum esse eò facilius concedimus, quo certissime  
scimus, falsissimam esse hypothefin eorum, qui  
in examinandâ Legum Civilium autoritate eas  
fecuritatem in foro soli saltem, non vero Poli in-  
tendere somniant. Concinne huc quadrat Textus  
Paulinus in *L. 45. in f. ff. de administr. & pericul.  
tutor. Is autem, inquit, qui tempore liberatus est, non  
ei similis est, qui nihil habet, sed ei, qui satisfecit; ha-  
bet enim, quos objiciat petitori.*

§. IX.

Neque porro obstat; debitorem ex actione personali  
etiam possidere, (ddd) nullumve præscriptionem absque pos-  
sessione procedere. (eee) Nam sicut possessio debitoris quoad  
actionem personalem merum commentum est, cum posses-  
sio absque verâ vel ficta apprehensione acquiri nequeat, (fff)  
utraque vero hic deficiat; Ita *cap. 3.* non de præscriptione a-  
ctionis personalis, sed Usucapione loquitur, prout perspicue  
declarat Jctus in *L. 25. ff. de usucap. latiore* tamen responsio-  
nem ad conflictum ipsum nobis reservamus.

THESIS XI.

*Neque distinctiones quorundam de necessitate bonæ  
fidei in actionibus personalibus sub distinctione respon-  
dentium (ggg) agnoscimus.*

THESIS XII.

*Inmemorialis denique Præscriptio bonam non semper  
requirit fidem; In præscriptione rerum tamen de Jure  
Canonico illam & hic requiri, verius est (hhh)*

THESIS XIII.

*Heres in malâ fide existens rem à defuncto bonâ fide pos-  
sessam, Jure Civili, non vero de Jure Can. præscribere potest.*

(ddd) *L. 9. & 16. ff. de hered. petit.* (eee) *Cap. 3. de R. J. in 6. (fff) L. 3. §. 1.  
L. 23. L. 18. §. 1. ff. de A. A. P.* (ggg) Vid. Engel ad Jus Can. 2. T. 26.  
n. 18. (hhh) arg. *Cap. f. X. de præscript.*

*Arbeits, Diss., 1711/12*

ULB Halle

3

004 171 527



*527*







207.

11. 21  
M.

DISSERTATIO JURIDICA CANONICO-CIVILIS,  
DE

# BONA FIDE IN PRÆSCRIPTIONIBUS NON NECESSARIA,

*Scam*  
DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,  
IN PERANTIOVA ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

PHILIPPO VVILHELMO,  
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non  
METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CA-  
NONICO CAPITULARI SENIORE, & respectivè SUPREMO CHORI - EPISCOPO,  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO  
INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIÛVE ERFURTENSIS  
PRO - PRINCIPE &c. &c.

INDULTU CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
SUB PRÆSIDIO  
DN. TOBIÆ JACOBI *Reinhardt* / J. U. D.  
NEC NON REGIMIN. ELECT. AC JUDIC. ADVOCATI  
ORDINARIÛ,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
D. 4. JANUAR. A. O. R. MDCCXII.  
IN AUDITORIO JCTORUM MAJORI HORIS CONSVETIS  
*submitit,*

PAULUS SIRONVAL, *Aquisgranensis.*

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.